



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentarii Tres in Universam Aristotelis Philosophiam

Crespin, François

Brvxellæ, 1652

Reverendissimo Patri Patri Magistro Ioanni Antonio Philippino, Totivs
Carmelitarvm Ordinis Generali Optime Merito.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95346](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95346)



REVERENDISSIMO PATRI
PATRI MAGISTRO
IOANNI ANTONIO
PHILIPPINO,
TOTIVS CARMELITARVM
ORDINIS
GENERALI OPTIME MERITO.

 U i rerum gerendarum gratiâ, *Reverendissime*
Pater, ab magnis Principibus, ac Regibus, le-
gantur, ipsorum penè Principum, & Re-
gum, prosequendos esse honoribus, uni-
versarum gentium consensus, non tam legum decre-
to scivit, quàm sancivit rationis sacramento. Quibus
enim commissa potestatis est alicujus autoritas, eos
quasi magnitudinis infusæ conspicuus character pa-
lâm observandos designaret, etiam barbari suspiciunt
ac venerantur. Eam ob rem, autoritatem atque
magnificentiam quodammodò divinam, haud injuriâ,
sibi Gentium Magister assumere visus est, quùm di-

E P I S T O L A

^(a) 2 ad
Cor. 5.
v. 20. ceret: ^(a) *Pro Christo ergo legatione fungimur, tamquam Deo exhortante per nos.* Magnifica sanè oratio. Nempe, eodem

^(b) Epi-
stol. ad
Roman.
13. v. 2. ipso docente, ^(b) *non est potestas nisi à Deo; qui potestatibus sublimioribus* capita subditorum ob id esse voluit obnoxia,

quòd orbis hujus rectores, tamquam immensæ suæ potestatis, atque Divini moderaminis vicarios, discretis quemque partibus præficeret; Rectores ergo in Vicariis, & in Rectoribus (itaque in *Te, Reverendissime Pater*, cui Deus Prophetici currus aurigationem imposuit) ipsum Opt. Max. Numen cogitare & revereri oportebit: atque ut, vel ipse ego ita cogitem, & *Reverendissimæ Paternitati Tuae* rependam, quod debeo, pietas suadet, æquitas postulat, Deus jubet; etenim

^(c) Exo-
di 23. Divini Verbi præceptum est ^(c) *Non apparebis in conspectu*

^(d) *ibid.* *Domini vacuus:* sed ^(d) *solemnitatem messis primitivorum operis tui custodies.* Tu verò, cùm à Domino benedictus advenias, in hac pro eo legatione, & mihi & nobis, pro Domino es: sed messis nostra sterilis, humiliaque Operis mei primitiva, nisi, quod Superis commune est, anathematum nihil indigus, etiam humilia & abjecta, affectus meritò potius, quàm dignitate materiæ æstimanda putes: *Commentarii tres sunt in Universam Aristotelis Philosophiam*, typis elegantioribus mandati, ut quòd tuis, sive docentibus, sive studentibus, filiis, observantia regularis detrahit temporis, scriptitatio sanitatis, intercisionum & vocularum neglectus claritatis sub Amplissimi nominis tui, *Reverendissime Pater*, auspiciis, restituant typi; virum namque nancisci oportuit,

DEDICATORIA.

tuit, à quo cum favore splendorem, ac subcommenda-
 tione auctoritatem acciperent; qui, inquam, & fa-
 veret gravioribus his disciplinis, & polleret. Te ve-
 rò in earum cultores, quis propensior? ipsis discipli-
 nis, quas apprimè semper coluisti & docuisti, quis
 ornatior? Hæ non ad Magisterii dumtaxat apicem
 Te, sed ad universi etiam Helio-Mariani Ordinis ca-
 cumen, unà cum virtute sustulère; sic ^(c) ut in nullo sis ^(c)
 minor, qui cunctis es potior; imò cum auctoritate humilis; cum humilita- ^{Chryf. hom. 13. in Luc.}
 te sublimis; non ideo melior, quia major; sed ideo major, quia melior.
 Testantur profectò cuncti Religionis gradus, ^(f) Stu- ^{(f) Le- z. an. An- nal. To- mo 20. in epist. dicar.}
 diorum Regentiæ, Cænobiorum Præfecturæ, Provinciarum Præfulatus;
 Sociatus & Procurationis Generalium, per quos res ubique sapi-
 entissimè gerendo, ad summa præfecturæ fastigia con-
 scendisti, in Te jam impletum, quod prius in S. Cornelio
 Pont. Rom. laudavit Cyprianus: ^(g) Iste ad Episcopatum, Ge- ^{(g) Cy- prian. l. 4. epist. 2. ad Anton.}
 neralatum dico, non subito pervenit, sed per omnia officia Ecclesiasti-
 ca promotus, & in divinis administrationibus Dominum sæpè promeritus,
 ad sacerdotii, Generalatus inquam, sublime fastigium cunctis religio-
 nis gradibus ascendit, non intrusus, sed ^(h) vocatus à Deo tamquam ^{(h) Ad Hebr. 5.}
 Aaron; nam ⁽ⁱ⁾ invenimus germinasse virgam tuam in Carmelo, ^{(i) Nu- mer. 17.}
 & turgentibus gemmis erupisse verizeli flores, qui foliis dilatatis
 in strictioris observantiæ amygdalas deformati sunt. Primis
 quidem temporibus; quum Eliadas omnes optatissi-
 mo nuntio recreatos, ut ^(k) in eandem mentem tecum conspi- ^{(k) Ioan. Philipp. ad Pro- vincial. & Prio- res sui Ordinis.}
 rare & collaborare vellent obtestabaris, ut in sanctum opus cæptum
 incumberent, obsecrabas, Apostolum doctus, ^(l) Væ enim ^{(l) 1 ad Corinth.}
 mihi si non evangelizavero; tum suscitasti in plerorumque

E P I S T O L A

cordibus bonæ cupiditatis igniculos. At nuperrimè ubi conspectus es Eliæ proto-parentis zelo zelatus, auctoritate ac nominibus summorum Principum, ejusque, quo in terris nemo post Deum major est, fucinctus admove-re operi manum; à secretis, & consiliis, licèt sapientissimus, virum, etiam ex Reformatis, assumere; Commissarios delegare, qui tuis auspiciis in Germaniam, Bohemiam, Poloniam, aliasque plures Gallia Provincias, regularem observantiam ac reformationem importarent; quinimò ipse totius Ordinis tui ambitum circumlustrare; nec viarum discriminibus revocari, dissidentiâ locorum non retardari, bellorum tempestate non abduci, immensitate laborum non deterreri ab operosissima tot provinciarum peragrati-one, ut animi tui jam longâ severitatis Asceticæ disciplinâ subacti, in filios paterna semina, in pace & charitate, profunderes; fortissimum Sylvium desiderare desimus, sanctissimum Sorethum mitiùs optare cœpimus; quid enim illi per Galliam, Hispaniam, Italiam, Germaniam, perque Belgium nostrum gesserint, repetere ex Patrum memoria possumus: à Te verò hîc & ibi, quàm feliciter priscus ille splendor majorum restituatur, & oculis, & auribus haurire. Etsi tamen tuarum virtutum exempla coràm contemplari, absentibus numquàm contigisset; ex hac animi tui magnitudine, an submissione? quo totum Ordinem tuum, his impeditissimis bellorum temporibus, circumlustras, proderet ipsa sese, atque incurreret in oculos.

Cæte-

DEDICATORIA.

Cæterùm, *Amplissime Præsul*, si magnos viros parva obsequia spernere dedecet; si Dominus, non tam pensat donum, quàm donantis affectum; *Tu*, qui à Domino benedictus advenis, qui in hac pro eo legatione, & mihi, & nobis pro Domino es, hoc donum Levidense, Philosophicum dico hunc laborem meum, sive meo, sive totius Provinciæ nomine *Reverendissimæ tuæ Paternitati* offerre non verebor; enimverò non *substantiam* oblatorum, sed, Domini tui memor, ^(m) *offerentium conscientiam* ^{(m) Be- da su- per ca- put 12. Marci. (n) Am- br. lib. 2.º. off. c. 30.º.} pensare soles, ajens, ⁽ⁿ⁾ *affectus pretium rebus imponit*. Illud igitur benevolâ, placidâque manu accipias velim, nec me illorum, qui tuo favore ac benevolentia fruuntur, numero indigneris. ^(o) *Deus autem qui fecit tibi nomen grande juxtâ nomen magnorum, qui sunt in Terra, ponat locum populo suo Carmelitico, & plantet eum, & habitet sub te in pace, Nestoreosque Deus tibi largiatur annos, à quo reformatio felicitatem, & totus Ordo Carmeliticus novum sibi certò pollicetur splendorem. Ita vovet suo, & Provinciæ nostræ Belgicæ nomine*

Reverendissimæ Paternitatis Tuæ

Humillimus filius & subditus,

F. FRANCISCUS BONÆ SPEI,

Carmelita Reformatus Provinciæ Belgicæ.

RE-